

ibi reddunt: ἀρχων ἰῶν ὀδῶν & Vulg. *ad præcinendum melodiam.* Existimo eum fuisse præfectum musices, qui in cantione sacrorum psalmorum præivit Levitis. conf. v. 27. In præsentī loco, uti alibi sæpius LXX vertunt λῆμμα, *assumptio*, quos sequuntur Sym. & reliqui Prov. XXXI, 1. Alibi LXX reddunt ὄραμα, *visio*. Esa. XXI, 11. & XXII, 1. quandoq; ὄρασις, *visio*, Es. XIII, 1. & XIX, 1. &c. Cur נשׂו dicatur λῆμμα, *assumptio*, ea est ratio, quod prophetæ assumerunt verba Dei eaq; ore protulerunt. Sic Ps. L, 16. legimus: *impio dixit Deus: quid tibi est, ut enarres statuta mea*, נשׂוה, καὶ ἀναλαμβάνεις, & *assumis*, i. e. ore proferis, *pañum meum?* Eodem sensu Habak. II, 6. dicitur, *gentes parabolam* נשׂו *assument vel proferent ore.* Judæorum interpres Rasche explicat nostram vocem de acceptione & prolatione vaticinii, נשׂוה, inquit, *est assumptio vaticinii, quod sumpsit vel accepit per Spiritum Sanctum.* Hieronymus olim interpretatus est vocem nostram per *onus & vaticinium onerosum*, quem alii secuti sunt plures, quia viderunt pleraq; vaticinia esse onerosa, & multa mala prædicere, qua ratione onus appellari possunt. Sed dantur alia, quae multa bona & fausta promittunt, atque נשׂו dicuntur. v. g. Zach. XII, 1. Thren. II, 14. Prov. XXX, 1. vide B. Geier. Comment. in h. l.

*Quod vidit*) modo prophetico, uti prophetæ sua vaticinia per revelationem divinam cognoverunt.

vers 2.

*Quamdiu*) Hebr. הנה ער *quousq;*. Recte observat Aben-Esra, has voculas referri ad tempus & ad locum. In h. l. respicitur tempus, quare & Chaldæus vertit: *quamdiu.* Ex hoc loco apparet, prophetam nostrum longo tempore conspexisse peccata populi, & tam

E 2

publi-